



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VI. Vtrùm fundamentum requisitum ad distinctionem rationis
ratiocinatae debeat præcedere in ipsa re quæ distinguitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. V. Quid sit distinctio rationis. 371

10 Distinctio rationis ratiocinantis non potest dividi in tot species, in quot divisa est distinctio rationis ratiocinata, sed necessario omnis distinctio rationis ratiocinantis ex parte diversorum entium rationis, vel denominationum, quas supponit, est distinctio excludentis rei ab exclusa re, esto ex parte rei, quam denominant, & afficiunt, habeant unitatem subiectivam in sensu quo Aristoteles dixit album, & musicum esse unum subiecto. ratione tamen diversa, & ex parte rationis communis, sub qua sunt unitatem obiectivam.



QVÆSTIO VI.

Virum fundamentum requisitum, ad distinctionem rationis ratiocinatæ debeat præcedere in ipsa re quæ distinguitur.

SECTIO I.

Argumenta adversaria ponuntur.

10 **E**cce quæstio excitatur propter P. Hurtado, & nonnullos nominales, cum quibus ipse, d. 6. mer. sect. 4. in 3. sub sectionibus divisa, latissime conatur ostendere ad distinctionem rationis ratiocinatæ in re ipsa, nunquam nullumque intrinsecum præcedere fundamentum, sed ad diversa solum connotata recurrendum, ut eadem entitas secundum rationem, per distinctionis ratiocinatæ distinguitur, asseritque omnem distinctionem rationis solum esse subiectivam in intellectu, in re tamen quæ per illam distinguitur solum extrinsecè, & per denominationem à ratione.

2 Primum illius argumentum desumitur à D. Th. opus 9. q. 1. ubi expressis verbis ait, attributa divina differre ratione, ea solum de causa, quia cum in re idem sint, à nobis tamen sub diversis conceptibus formalibus præsentantur: ergo distinctio tota rationis est solum penes conceptus nostros formales, in obiectivis vero dumtaxat extrinsecè, quatenus illos terminant.

3 Secundo, ubi non est aliquid, per quod aliud sit formaliter distinctum, non est distinctio formalis: sed ratio distinguens formaliter distinctiones rationis ratiocinatæ, est in intellectu solum subiectivè, cum sit ens rationis, & non in re, quæ per illam distinguitur: ergo distinctio formalis secundum rationem, solum est in intellectu, & non in re, quæ per illam distinguitur.

4 Confirmatur, distinctio formalis est distinctio plurium formalitatum; atqui si in rebus, quia gradus repetit in eadem entitate à parte rei non solum identificantur inter se realiter, sed etiam formaliter.

5 Tercio, si in re ipsa præcederet intrinsecum fundamentum, seu virtualis distinctio rationis ratiocinatæ, haberet in re ipsa animal, v. g. existens in homine antequam cognosceretur ex parte sui per quod formaliter esset aliud, à rationali: at ex parte sui illud non haberet antequam cognosceretur: ergo. Minor recipitur ab Authoribus contrariæ sententiæ inferius referendæ; alioquin manus darent Scotistis conantibus in rebus ante omnem
R. P. Idesp. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

mentis considerationem formalitates dari mutuo distinctas. Maior vero ita probatur, quia fundamentum illud, seu virtualis distinctio esset causa, quare animal ex parte sui conciperetur aliud formaliter à rationali: ergo ex parte sui animal haberet aliquid antequam cognosceretur ratione cuius esset aliud formaliter à rationali. Probatur consequentia, quia haberet illam virtutalem distinctionem à rationali, antequam cognosceretur.

Si respondeas illam virtutalem distinctionem esse solum fundamentum, ut per rationem solum conciperetur animal aliud formaliter à rationali.

Opponit idem P. Hurtad. & sit 4. Argumentum in ordine esse fundamentaliter aliud, nihil aliud est quam esse fundamentum, ut cognitio attingat ex parte obiecti unum absque alio; atqui repugnat tale fundamentum, si in re ipsa non sit aliud, & aliud formaliter, quia ubi non est aliud, & aliud ex parte obiecti, non potest fundari cognitio aliud sine alio, quia obiectum non fundat cognitionem eorum quæ non sunt in ipso; ergo vel dicendum est ex parte animalis antequam cognosceretur non esse fundamentum, ut conciperetur aliud à rationali vel Scotistarum factioni concedendum.

Quinto, vel cognitio præcisa terminata immediate ad animal in homine, terminatur etiam immediate ad rationale, vel solum immediate ad animal, & minime ad rationale; si primum: ergo ex parte animalis hominis nihil est ratione cuius conciperetur aliud formaliter à rationali per mentem, siquidem cognitio præcisa illius, tam immediate terminatur ad rationale, quam ad ipsum animal; si secundum: ergo animal, & rationale in homine distinguntur à parte rei. Paret consequentia primo, quia inde conveniret à parte rei prædicatum aliquid uni, quod alteri non conveniret, quod in creatis est magnum distinctionis signum.

Secundo, quia cognitio se tenens in intellectu non attingit formaliter rationale, & attingit formaliter animal: ergo non solum est diversitas in cognitione ipsa: sed etiam in obiecto cognito, atque adeo realis.

Sexta sententia constituens in re virtutalem seu fundamentalem distinctionem solum voce, ab Scotistarum sententia discrepat, quamquam vocanti illi formalem actualem, & ex natura rei distinctionem isti appellant virtutalem, & fundamentalem; atqui distinctio Scotistarum communiter exploditur: ergo, & distinctio virtualis, & fundamentalis in re ipsa.

Secunda sententia asserit omnem distinctionem rationis tam ratiocinantis quam ratiocinatæ, petere pro fundamento distinctionem realem formalem; unde omnis distinctio petit necessario quod petat tanquam motivum altera distinctio realis; hanc sententiam sequuntur multi, sic Gerard. Senens. in 1. d. 2. quæst. 2. art. 3. & 4. Durandus. in 1. dist. 2. quæst. 3. art. 15. Herbeus q. 3. art. 3. in 3. opin. Zumel, 1. part. quæst. 28. art. 2. q. 2. ad dubia parva, P. Valq. 1. parte dist. 17. cap. 3. n. 8. & 9.

Probatur primo, sicut se habet ens ad ens reale, ita distinctio rationis ad distinctionem realem: sed ens rationis habet ortum ab ente reali: ergo distinctio rationis à distinctione reali: ergo nunquam causabitur, nisi cum habitudine ad ea, quæ distinguntur realiter.

Aaa 2 Confir

13 Confirmatur, distinctio rationis non est vera distinctio, sed ficta ad proportionem cum reali: ergo non potest intelligi sine ordine ad veram distinctionem realem; patet consequentia, quia neque ens rationis potest intelligi sine proportionem ad ens reale, neque univrsium id quod habet esse proportionem, & habitudinem ad aliud potest intelligi sine illo.

14 Tertio probatur inductione in creatis, & divinis; nam intellectus Dei, eiusque voluntas distinguuntur à nostro intellectu, eo quod à parte rei creata voluntas, & intellectus actu distinguuntur; insuper animal, & rationale distinguuntur ratione ex operationibus sensus, & intellectus, quæ distinguuntur realiter; albedo item, & color non possunt iudicari ratione distincta, si præter albedinem nullus alius esset color realiter ab ea distinctus, & univrsium idem est de quocunque genere, & specie, quæ ratione non distinguuntur, nisi videremus sub genere alias species inter se realiter distinctas. Demum unus locus trans diversos motus, vnum ut terminus ad quem, & alterius, ut terminus à quo ratione distinguuntur per habitudinem ad istos diversos motus, sine quorum reali distinctione quo modo ratione distinguemus vnum, & eundem locum, ut terminum ad quem, & à quo, & sic de singulis: ergo.

SECTIO II.

Aliqua notantur.

15 Notandum questionem hanc esse de re vel de voce tantum; de re erit, si Authores, quibuscum decertamus absolute doceant (ut docere videntur, omnem distinctionem rationis, tam virtuale, quam formalem, & actualem esse merum mentis commentum, & aliquam vocari rationis ratiocinatæ, sive cum fundæntum in re, non quia res ipsa postulet in ordine ad intellectum creatum Angelicum, vel humanum ob plenitudinem perfectionis, quam habet vel ob æquivalentiam in vna, & simplicissima entitate ad plures entitates secundum rem distinctas cognoscendi per plures inadæquatos conceptus, quorum singuli ad eandem entitatem totam illius rei terminantur immediate, expresse tamen solum expriment gradum vnum, vel alterum suppletis alijs; sed solum vocari distinctionem rationis illam, quæ est cum fundamento in re, quia diversa eiusdem rei connotata extrinseca sunt in causa, ut est per quamlibet cognitionem totam illam rem, & omnes formalitates, seu gradus illius intrinsece in illa existentes immediate, & formaliter represententur illam modo concipimus ut genus, modo ut differentiam, modo ut essentiam, modo ut attributum diversaque nomina eidem significandæ sub diversis illis connotatis conceptibus imponamus, atque adeo adæquata causa huius diversitatis non in re ipsa, quæ distinguitur sed in diversis connotatis per rationem cognitis, ponatur hoc: ergo. Pacto explicata horum Authorum sententia dissidium nobis cum illis de re erit, non de nomine, quia tunc de nomine solum hac in re pugnetur, si illi in rebus ipsis connotantibus intellectum humanum creatum, humanum, vel Angelicum ex intrinseca natura, & quidditate earum ponant initium præcisivarum cognitionum, quibus modo sub diversis gradibus, modo

sub alijs ipsam concipimus inadæquate; nolint tamen distinctionem rationis virtuale à parte rei initium illud compellere.

Deinde etiam est advertendum ab Authoribus 16 sententiæ nostræ inferius allegandæ non negari ad plurimas distinctiones rationis ratiocinatæ exigi necessario extrinseca connotata, apud eos enim, & nos compertum est, tum animal, tum rationale in homine distingui secundum rationem, quia animal secundum quid tale connotat sensationes, rationale vero discursum; solum ergo ab ipsis denegatur adæquatam causam distinctionis rationis ratiocinatæ esse extrinseca illa connotata, apud eos enim, & nos compertum est, quia ad pleraque quæ sunt idem realiter illo distinctionis genere gaudent sine extrinsecis connotatis, ut patet in communi ratione entis, & substantiæ, quæ ratione ratiocinata, seceruntur à corpore, neutrum tamen connotat aliquid extrinsecum, ut de se patet, quibus positus.

SECTIO III.

Nostra sententia probatur.

Prima conclusio: sententia P. Hurtad. & no- 17 minatum est falsa, nam distinctio rationis ratiocinatæ, sive sit rei connotantis extrinsecos terminos, sive non connotantis, sæpe petit intrinsece in re, quæ per illam in plures conceptus obiectivos dividitur, virtuale, seu fundamentalem distinctionem hanc, ut iacet, sustinent Thomistæ omnes, & fere omnes nostræ Societatis DD. videantur Conimb. in *Legis. in præfationem Porphyrii*. q. 4. art. 2. in princip. Rub. ibid. tract. de natura entis rationis, num. 10. Suar. 10. tom. de beatitudine, lib. 5. q. 5. art. 6. §. 2. vbi multa congerit loca, D. Thom. pro hac sententia ita ostendo.

Primo à differentia distinctionis rationis ratiocinantis à ratiocinata, quia prima ab omnibus ponitur distincta à secunda, quia nullum supponitur in re, quæ per illam distinguitur fundamentum; secunda vero illud supponit: ergo distinctio rationis ratiocinatæ non est sine fundamento in re, quæ per illam distinguitur.

Si respondeas fundamentum hoc esse connotata secundum re diversa, quibus caret distinctio rationis ratiocinantis.

Contra erit, quia etiam distinctio rationis ratiocinantis habet diversa in re connotata, actus scilicet diversos mentis, quibus in eodem Petro, v. g. extrinsecas denominationes, vel relationes subiecti, & prædicati, quia ut constat ex dictis supra distinctio rationis ratiocinatæ est formaliter inter extrema rationis, quæ non existunt nisi per actus reales mentis, quibus actu representantur, & cognoscuntur.

Secundo distinctio rationis ratiocinatæ habere 18 in re fundamentum nihil aliud est, quàm rem ipsam ex se cum simplicitate secundum entitatem esse plures secundum æquivalentiam, & virtutem, posseque ut talem concipi: atqui omnia, quæ distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ habent ex se cum simplicitate secundum entitatem pluralitatem, secundum æquivalentiam, & virtutem: ergo. Maior patet, neque in alio sensu authores nostræ sententiæ dicunt præcedere in re ipsa fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ: minor vero ostendunt animus rationalis, animæ in- 19 bruto

Quæst. VI. Vtrum distinctio rationis, &c. 373

brutorum, Deus, & alia obiecta quæ cū in se habeant maximam unitatem dividuntur in plura per rationem, animus enim rationalis, licet in se unus sit, & simplex, virtute tamen æquivalat tribus formis, secundum rem distinctis, imprimis enim per seipsum confect corpori humano gradum entis completi, & formati, sicut forma lapidis lapideo corpori: deinde præstat primum gradum vitæ principium scilicet vegetandi, in quo convenit cum formis plantarum, Tertio vitam sentientem, in quo etiam convenit cum animabus brutorum, quæ omnia præstat per seipsum; cæteræ vero formæ cum distinctione reali earum inter se, quare ille est plures per æquivalentiam, & eodem modo cum proportionem ostendi potest, de animabus brutorum, quatenus secundum eandem partem, & formant corpus, & simul sunt principia vegetandi, & sentiendi.

21 De Deo autem esse debet per se notum, cum enim omnes gradus entis creati, sint effectus participati ab ipso, necessarium est ut illos in summa simplicitate suæ Deitatis, & nature contineat eminenter vel formaliter, si fuerint perfectiones simpliciter simplices, conferantque ipsi cum summa unitate in eadem natura. quæ perfectiones illæ divisæ realiter in creatis confectunt, atque adeo simplicissima natura divina eadem in se sit formaliter una, & simplicissima, plures vero virtualiter, & per æquivalentiam. Deinde in ipso Deo à parte rei distinguuntur per æquivalentiam, & virtutem voluntas, & intellectus, quia verum est Patrem generare filium per intellectum, & non per voluntatem: sed hæc æquivalentia, & distinctio virtualis non est per ordinem ad connotata extrinseca, quia in Deo actus voluntatis, & intellectus, qui illa esse possent, neque inter se, neque à facultate voluntatis, & intellectus secundum rem distinguuntur.

22 Et eodem modo minor probari potest de multis alijs rebus quas nos in plures dividimus distinctione rationis ratiocinatæ: ergo huiusmodi distinctio supponit in re per illam distinguuntur intrinsece fundamentum.

23 Ex quo colliges, quod esto in homine, v.g. gradum vitæ sentientis quem importat nomen animal distinguamus à gradu vitæ intelligentis, cum discursus per ordinem ad sensationes, & discursus id non sit formaliter, sed terminative solum, quatenus per has operationes tanquam per terminos habitudinis animæ intrinsecam virtutem, seu æquivalentem illius pluralitatem colligimus, quæ reducit ad actum formalis, & actualis distinctionis, per cognitionem, qua concipio eandem naturam, quæ radix est vniuersi formalitatis, siue gradus non esse radicem alterius.

24 Tercio, attributa diversa distinguuntur inter se, & ab essentia distinctione rationis ratiocinatæ penes implicitum, & explicitum, & ut sic distinctæ concipiuntur, ut perfectiones intrinsecæ Deo; atque si solum distinguerentur penes diversa, & extrinseca connotata, ita ut ex parte naturæ nullum esset intrinsecū fundamentum per æquivalentiam non conciperentur, ut distinctæ perfectiones intrinsecæ Deo: ergo. Maiorem suppono, ut certam cum communi omnium Theologorum consensu, alias nomina omnium attributorum Dei essent synonyma, neque vnum poneret in Deo saltem conceptibiliter perfectionem ab altero diversam penes implicitum, & explicitum; minorem vero ita probō, quia formalis, & vltima ratio illius

multiplicationis essent diversa, & extrinseca connotata; imo, & formale significatum importatum per attributorum nomina, sed extrinseca connotata non possunt esse perfectiones intrinsecæ Dei cum sint entia quædam creata, ut de se patet: ergo.

Quarto, vnum attributum Dei distinguitur per 25 re solum tanquam per rationem vltimam distinctionis ex parte sui per diversum connotatum: ergo vnum attributum Dei distinguitur ab altero secundum rem, & realiter absolute, quod est hereticum. Patet consequentia, quia illa secundum rem distinguuntur, quorum vnum continet aliud secundum rem, quod non continet alterum; sed attributum, v.g. iustitia, continet diversum secundum rem connotatum punitionem scilicet, vel remanerationem extremam à connotato attribuit misericordiam, quod est externa pauperum sublevatio: ergo.

Secunda conclusio: quamvis multoties distinctio 26 rationis fabricetur per ordinem ad ea quæ realiter acta distinguuntur, non tamen semper est id necessarium, neque similem habitudinem, ad distincta realiter distinctio rationis formaliter, & in genere exposcit; sed fabricari poterit nullo habito respectu ad distincta realiter solo intellectus libito secundum modum ad ipsum solum consequuntur, si distinctio fuerit rationis ratiocinantis, vel in re ipsa obiectiva ad intra reperto fundamento, ut diximus in prima conclusione secundum distinctionem virtutem, aut æquivalentem suarum perfectionum, quæ acta sunt vna simplex formalitas; hæc etiam conclusionem communiter Thomistæ tradunt simul cum Scotistis. Caietanus 1. part. q. 13. art. 4. ad finem commentarii, Capreolus in 1. d. 8. q. 4. art. 3. ad Argumenta, & art. 1. conclus. 4. Franciscus Achiutius, in 1. dist. 2. q. 5. conclus. 1. Scotus in 1. dist. 8. q. 4. literal. §. contra istam positionem, & §. contra rationem eius, Agidius Lusitanus tom. 10. de beatitudine.

Probatum autoritate expressa D. Thom. de veritate 27 rit. q. 3. art. 2. ad 3. & opusc. 9. cap. 3. ubi vniuersaliter docet pluralitatem rationis ad quam sine dubio consequitur distinctio rationis quandoque reduci ad aliquam diversitatem rei, quandoque non: sed absque illa fieri: ergo secundum D. Th. distinctio rationis in communi, & secundum formalitatem suam reali distinctione non eget, & in 1. distinct. 2. q. 1. art. 5. §. Quantum vero ad 4. inquit distinctio rationis divinorum attributorum ex reali distinctione similium perfectionum in creaturis, tum etiam ad intra ex ipsa fecunditate eminentissima esse divini, quod proinde non potest vno actu mentis exacte, & adæquate penetrari, cuius verba infra subiiciam.

Secundo probatur Doctoris eiusdem autoritate, nam ipse Angelicus D. in 1. dist. 22. q. 1. art. 1. in fine corporis, sic ait; sed præter hoc etiam est in Deo invenire distinctionem rationum, quæ realiter, & vere in ipso sunt, sicut ratio sapientiæ, & bonitatis, quæ quidem omnia sunt vnum re, & differunt ratione, quæ salvatur in proprietate, & veritate; ita dicimus Deum esse sapientem vere, & bonum, & non tantum in intellectu ratiocinante, & infra ad 4. dicendum, quod differunt nomina attributorum secundum rationem, non tamen quæ sit solum in ratiocinante, sed quæ salvatur in ipsa re, secundum veritatem, & proprietatem rei, & infra d. 33. q. 1. art. 1. ad 3. Dico igitur, quod cum dicitur, quod est alia ratio Paternitatis, & es-

sentia in divinis, non accipitur ratio propterea est in ratiocinante tantum, sed secundum quod est nomen intentionis, & statim declarat hanc intentionem esse in anima, & habere aliquid in se respondens, cui intellectus huiusmodi attribuat intentionem, eandemque doctrinam insinuat in 1. d. 2. quæst. 1. art. 3. §. ex hoc patet 2. & satis prodigit de potentia, quæst. 7. art. 6. in corpore: ergo secundum D. Thom. manifestum est est dari aliquam distinctionem, quam ratio facit absque præsupposita distinctione reali realiter.

29 Probat secundum rationem, quia duplex datur distinctio, ut diximus supra, alia rationis ratiocinantis, alia rationis ratiocinatae, & minimum in distinctione rationis ratiocinantis, non requiritur distinctio realis, ut ansam præbeat intellectui ad distinctionem rationis fabricandam, quia hæc distinctio non formatur ex præsupposito in re fundamento, sed consequitur ad statum solum, quem eadem res mentaliter repetita sortitur ab intellectu: ergo intellectus in se præcõnet omne id, quod requiritur ad hanc distinctionem rationis: ergo hæc distinctio non fit per ordinem ad ea quæ a parte rei habent veram, & realem distinctionem, nulla enim sunt hæc, quæ movent intellectum ipsum, excitantque ad talem distinctionem rationis fabricandam, quæ confluit in Petro, quatenus est subiectum, & prædicatum in hac propositione, Petrus est Petrus: ergo distinctio rationis pro ut sic communis ad distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatae, non requirit realem distinctionem: ergo neque distinctio etiam ratiocinata, ex vi suæ formationis. Patet consequentia, quia adversariorum argumenta supra posita, vel probant de omni, vel de nulla, quia procedunt à priori ex ipso concepta distinctionis rationis, quare si aliqua distinctio rationis admittitur, quæ non exposcat realem distinctionem tanquam fundamentum, & motivum, nulla suppetet à priori bona ratio, quæ convincat aliquam distinctionem rationis formaliter, pro ut talis, & non attenda materia, in qua exercetur hanc distinctionem realem postulare.

30 Respondeo P. Vasquez 1. part. disp. 117. cap. 3. num. 8. & 9. & disp. 121. cap. 5. num. 17. & 25. negando dari distinctionem rationis ratiocinantis, quia intellectus inquit non potest distinguere plura in eadem re, quæ in se est simplicissima, nisi quando rem non cognoscit distincte, sicuti est in se, & tunc nunquam potest distinguere, nisi attendat ad aliqua realiter distincta, quorum motivum, & rationem distinguit id, quod in se divisum est, quatenus illud concipit ad instar illorum quæ realiter distinguuntur, quare nulla distinctio dari poterit secundum solum intellectum, eiusque libitum, sed omnis habet pro fundamento distinctionem formalem realem, vel in ipsa re quæ distinguitur, vel in alijs ex quorum reali distinctione moveatur ad distinguendam rem, quæ in se est omnino simplex: in hoc ergo sensu concludit, distinctio rationis dicitur habere fundamentum in re, quia semper fit per ordinem ad res inter se realiter distinctas, atque adeo nulla est distinctio rationis, quæ hoc fundamento non fabricetur. Vnde ad argumentum nostrum P. Vasquez citata disp. 117. c. 3. n. 7. & 9. & disp. 121. cap. 5. num. 18. respondeo primo Petrum in illa prædicatione nullo modo à se ipso ratione distingui, quia solum reperitur idem nomen vel etiam idem conceptus, quod non est distinguere Petrum, sed

illius nomen, aut conceptum iterum repetere.

Secundo respondeo illam distinctionem eiusdem à se ipso, etiam fieri per ordinem ad ea quæ realiter sunt diversa, id est per ordinem ad alias propositiones, in quibus prædicata, & subiecta sunt diversa, nam cum idem Petrus ponatur, tum ut subiectum, tum ut prædicatum repetitio eodem nomine ratione distinguimus ipsum Petrum per analogiam ad alias prædicationes in quibus prædicatum, & subiectum sunt diversa.

Sed contra, nam hæc solutio tota est voluntaria, & sine aliquo fundamento in re ipsa, nam in hac compositione rationis Petrus est Petrus, conceptus obiectivus Petri, vel ipsum nomen per talem compositionem mentalem diversam consequitur secundum intentionem: sed consequitur diversis secundis intentionibus, ipse Petrus qui eis afficitur, ratione distinguitur à se ipso: maior huius discursus est certa; nam intentio subiecti, & prædicati sunt diversæ intentiones rationis: sed per hanc compositionem mentalem Petrus est Petrus, consequitur Petrus intentionem subiecti, & prædicati: ergo per hanc compositionem mentalem consequitur diversam secundam intentionem rationis; minor probatur, duo accidentia rationis sufficientia sunt ut idem numero subiectum distinguatur à se ipso, secundum distinctionem rationis: sed duæ intentiones rationis sunt duo accidentia rationis: ergo hæc minor patet, quia sunt duæ relationes rationis. Maior probatur, quia duo accidentia realia sufficientia sunt, ut subiectum eis affectum reddant à se ipso diversum; nam Petrus pro ut albus realiter distinguitur à se ipso pro ut niger: ergo duo accidentia rationis latis erunt, ut subiectum quod eis afficitur distinguatur à se ipso secundum rationem: in hac ergo prædicatione, Petrus est Petrus, perpetram ait P. Vasq. nullo modo Petrum à se ipso ratione distingui, quare fatendum est cum communi sententia Petrum pro ut subiectum distingui à se ipso, pro ut est prædicatum.

Neque obstat, quod dicat Vasquez in illa prædicatione non dari aliud, quam simplex repetitio eiusdem Petri, quoniam illa repetitio facta per intellectum satis est, ut in eodem Petro repetitio causet distinctas secundas intentiones, quæ sunt distincta accidentia rationis, quibus causatis non potest non causare in eodem Petro distinctionem rationis; vnde alleganter Fonseca dixit; intellectum repetentem unam rem facere multa, non ob aliam rationem, nisi quia tali repetitione diversas ei attribuit intentiones rationis, quibus aliter concipit rem, quam est in se, quia concipit, ut subiectum uno conceptu, & altero ut prædicatum, quas affectiones in re ipsa non habet, atque his labefactata est prima P. Vasq. responsio, cum suo fundamento. Adversus secundam pono, quod admissio Petrum distingui ratione à se ipso in hac compositione mentali, Petrus est Petrus, necessario fatenda est distinctio rationis ratiocinantis, seu absque vlllo in re fundamento: ergo hæc prima responsio non potest sublineri; antecedens probatio, primo, quia hæc distinctio est penes duas secundas intentiones subiecti, & prædicati: sed istæ duæ secundæ intentiones, neque in esse, neque in concipi per se pendunt ex aliqua distinctione reali, quia ex se tam convenire possunt entibus realibus quam entibus rationis: ergo distinctio quam intellectus format inter Petrum ut subiectum, & ipsum Petrum ut prædicatum non pendet

pendet per se ex aliqua distinctione reali.

34 Secundo extra intellectum nihil datur ubi intellectus fundet talem distinctionem: ergo tota est penes intellectum. Probatur antecedens, quia frivolum est recurrere ad propositiones in quibus subiecta, & prædicata realiter distinguuntur, tum quia illæ propositiones non sunt extra intellectum, & ita recurrentes ad eas non foras transfeunt, cum quia intellectus ad eas non necessario debet attendere, ut identicam faciat propositionem, quia hæc non est ad instar illarum, ut sunt perfectiones divinæ, & creaturarum, cui accedit evidens experientia, nam ut ego dicam, Petrum esse Petrum, scio manifeste me non recordari illius propositionis, qua dixerim hominem esse album, imo cum ista, & similes propositiones in quibus prædicata sunt realiter diversa à subiectis habeant difficultatem, quia prædicatio importat identitatem subiecti cum prædicato, & ita sunt necessario constituenda in concreto, ut saltem ex parte habentis identificentur, ut possint fortini veritatem, & ista vero, & similes propositiones identicæ satis sunt omnibus obviæ, faciles, & notissimæ, sine probabilitate dicitur, ut has former intellectus egere illis; sed dicendum est absolute, & sine ullo vestigio dependentiæ à propositionibus, in quibus prædicata, & subiecta sunt realiter distincta, intellectum posse vnum cum seipso componere, & facere propositionem identicam: igitur admittendum est dari distinctionem rationis ratiocinantis, quæ solum fundetur in eo, quod intellectus ex sua ratione causaverit in re intellectui objecta absque ullo fundamento à parte rei, ut in prædicta prædicatione, Petrus est Petrus, visum est; nam præter esse obiectivum, quod consequitur, dum ab intellectu concipitur, ex eo quod per intellectum cum seipso componitur, consequitur duo accidentia rationis relativa, scilicet relationes subiecti, & prædicati, quæ cum inter se sint distinctæ, non possunt non distinguere ipsum Petrum in quo veluti subiectantur, cumque illa distinctio solum fundetur in distinctione istarum relationum, quæ non conveniunt Petro, nisi in intellectu, optime, & vere dicitur nullū habere fundamentū in re: sed solū, & totaliter confici ab intellectu, & ideo ratiocinantis dicitur, imo in distinctione rationis ratiocinatæ, quamvis exigat in re, quæ distinguitur esse obiectivum formalis, tamen ratio distinctiva non est aliquid in re ipsa per operationem intellectus causalium, & ab ipso in ipsam redundans, sed ipsamet ratio formalis rei quam habet à parte rei, diverso tamen modo ac si aperte concepta, ut exemplis declaratur.

35 Distinctio, qua punctum, ut est principium lineæ distinguitur à se ipso, quatenus est finis, fundatur in ratione principij, & finis, quia alia est ratio principij, & alia finis, quæ utraque ratio reperitur in puncto, tum, ut est in intellectu, tum ut est à parte rei, quamvis diverso modo in utroque statu; nam à parte rei reperiuntur actu unitæ, & in intellectu divulsæ ad invicem, & præcise, & idem reperitur in animali, & rationali, in actione, & passione secundum probabilem sententiam, & alijs distinctis hæc distinctio ratiocinata, quæ proinde dicitur habere fundamentum in re, & non innitit solum conceptioni intellectus.

36 Porro, quamvis fundamentum huius sit ad intra ipsius rei, quæ distinguitur, neutiquam sequitur inconveniens quod obijcit Vasquez, quod

scilicet præcedat in re ipsa distinguenda solum ratione actualis multitudo, & distinctio, sed solum infertur virtualis, & per æquivalentiam, quæ minime est ab intellectu, ipsa tamen quatenus fundamentalis non absolvitur ab illo, tanquam à termino, quia cum hæc sit potentialis in ordine ad intellectum ipsum connotat, ut causam efficientem, à quo reddenda est actualis, per productionem plurium conceptuum mentalium inadæquate concipientium hanc virtutalem multitudinem, & consequenter reddentia actualem, plures enim actus mentales sunt extrinsecæ formæ, & actus huius virtualis potentia, & multipliciter de tractandum de ente rationis, & ad prædicabile de differentia.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

Ad primum argumentum desumptum ex D. 37 Thom. Respondeo S. D. ibi loquutum esse de distinctione formali actuali rationis ratiocinatæ, non de fundamentali, & virtuali.

Ad secundum concedo totum syllogismum, 38 qui solum probat distinctionem formalem actualem rationis non esse absque ratione, & eodem modo respondetur ad confirmationem.

Ad tertium nego maiorem, quia animal ante- 39 quam cognoscatur solum habet in se, vel in homine aliquid fundamentale, ratione cuius per mentem possit concipi distinctum formaliter à rationali, & ad eius probationem concessio antecedenti negatur consequentia, quia ex illa non sequitur.

Ad quartum concedo maiorem, & nego mino- 40 rem, & ad huius probationem dicendum est ex parte obiecti quod est vnum, & simplex formaliter, & plura per æquivalentiam esse aliud, & aliud virtualiter, quod sufficit, ut possit intellectum impotentem illud per actum unicum adæquate concipere, movere ad plures inadæquatos, quorum singuli singulas formalitates virtute contentas in obiecto exprimant.

Ad quintum respondeo cognitionem præcisi- 41 vam terminatam immediate ad animal, quod est in homine, terminari etiam immediate ad realitatem rationalis quia à parte rei eadem est realitas utriusque, hoc tamen discrimine, quod quando ad animal terminatur, non solum terminatur ad meram realitatem illius, sed etiam exprimit eius formalitatem, hoc est importat ipsum expresse, quia intrinsece principium est sensationis, ad rationale vero terminat solum, quia eadem est realitas cum illo, & minime exprimendo illius formalitatem; deinde negatur consequentia, quia ex parte animalis, ut constat ex dictis, est aliquid fundamentale in homine, ratione cuius possit per mentem concipi, ut aliud formaliter à rationali.

Ad sextum nego maiorem, quia Scotistæ di- 42 stinctionem formalem, quam ponunt in rebus, præcisa quacunque rationis consideratione, dicunt esse actualem, convenireque actualiter rebus, nos vero cum Thomistis opposito modo iudicamus, nam existimamus res, quæ habent illam virtutalem, & fundamentalem distinctionem, actualiter & à parte rei, non esse divisas formaliter, sed simpliciter esse vnam, & eandem formalitatem, divisibilem

divisibilem tamen in plures formalitates per rationem, verum de hoc agitur.

Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo ex *Aegidio num. 32.* negando absolute minorem, quia ens, & distinctio sunt disparata, nam vnum est subiectum, & alterum passio.

43 Secundo respondeo *num. 33.* concedendo totum distinctionem pro ea, quæ est à parte rei, & negando pro ea, quæ inter rem, & rem, quia saltem est habitudo ad distinctionem virtuales, quæ est à parte rei.

44 Neutra solutio mihi placet, quia eo modo est aliquid distinctum, quod est ens, cum distinctio sit passio entis, neque in isto sensu dici potest, quod sint disparata, accedit quod sicut ens rationis est ad instar realis, defectibiliter ipsum imitando, ita distinctio rationis est ad instar distinctionis realis, quod quodammodo adumbret: ergo non potest negari absolute maior.

45 Secundo, quia hic loquimur de distinctione rationis, propterea complectitur utramque distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinata: sed in isto sensu non potest recurri ad distinctionem virtuales à parte rei, quia distinctio rationis ratiocinantis non habet pro fundamento hanc virtuales distinctionem: ergo accedit quod distinctio actualis mentalis non fit ad instar distinctionis virtualis, & per analogiam ad illam, sed ad instar distinctionis actualis, quia actuale non imitatur virtuale, & univèrsim loquendo ens rationis actuale fit ad instar entis realis actualis: admittit ergo maiore quod sicut ens rationis ad distinctionem realem, non potest interpretari, ita habitudo, & sinceritas distinctionis rationis, in minori ad distinctionem à parte rei virtuales.

46 Respondeo ergo concessa maiore distinguendo minorem, in actu signato concedo, in actu exercito nego, hoc est, quod sicut ens rationis in seipso est tale per habitudinem, & analogiam proportionalem ad ens reale, quod defectibiliter imitatur, ita distinctio rationis in seipsa propterea talis est, non potest intelligi nisi per analogiam, & proportionem ad distinctionem realem, cuius fit imperfecta quædam limitatio, cum hoc tamen fiat, quod quando actu producit huiusmodi distinctio rationis per divisionem mentalem extremorum, quæ in se sunt identificata, non sit necessarium recurrere intellectum ad aliqua, quæ realiter distinguantur tanquam ad fundamentum, quo excitetur, & promoveatur, ad huiusmodi distinctionem, quia neque isto sensu sic semper se habet ens rationis ad ens reale, multæ enim sunt primæ intentiones, quæ fundantur in alijs secundis intentionibus; dempsi hanc doctrinam ex *Aegidio ubi supra ad 5. num. 39.* quam miror certe huic argumento non applicuisse, sed ad alias minus probabiles recurrere solutiones.

Ad confirmationem concedo totum in sensu nuper dicto, quia solum probat distinctionem rationis sumptam, per se ipsam in actu signato non posse cognosci nisi in ordine ad distinctionem realem, ad cuius analogiam dicitur distinctio; inde autem non potest inferri nihil posse distinguere secundum rationem, nisi per habitudinem ad distinctionem realem, quæ inter duo aliqua reperitur, nisi fiat transitus de conceptu ipsius distinctionis pro seipsa in actu signato, ad conceptus ipsos extremorum distinguuntur disparata illatione.

Et est instantia manifesta distinctio rationis ratiocinantis, cum induat rationem distinctionis rationis, etiam est talis per analogiam, & habitudinem ad distinctionem realem, quam defectibiliter imitetur, et si hæc distinctio quando in actu exercito, & practice cognoscitur, tantum abest ut requiratur aliam distinctionem realem, tanquam fundamentum, quo intellectus excitetur, & promoveatur, quin potius huiusmodi fundamentum excludit ut supra vidimus: non ergo ex eo quod distinctio rationis in communi, & in actu signato, non possit speculative cognosci, nisi ad instar distinctionis realis, quod proportionabiliter imitetur, recte deducitur quod quando in actu exercito, & practice attingitur, egeat intellectus necessario recurrere ad extrema quæ realiter distinguantur. Ad 2. negatur inductio, quia in hoc intervenire constantia progressus quod in hoc argumento deficit, nam quamvis admittamus in animali, & rationali, albedine, & colore, puncto pro fine, & principio, loco pro termino à quo, & ad quæ, negamus ita necessario venire in intellectu, & voluntate divina, sapientia, & bonitate tam divina, quam creata, ut supra satis, ut enim habemus ex D. Thom. de veritate, quest. 3. artic. 2. ad 3. non vna solum datur causa plurificationis conceptuum, & distinctionis inde consequuta.

QVÆSTIO VII.

Verum per actus intuitivos, ut per visionem beatificam, contingat efformari distinctio rationis.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia est P. Vasquez disp. 117. tom. 2. prima pars, cap. 3. num. 8. & 9. P. Suarez lib. 1. de essentia Dei, cap. 13. & lib. 2. cap. 1. & 2. aliorumque plurium, qui omnes absolute docent per visionem intuitivam mentis repugnare, quod res quæ per illam visionem videntur, distinguantur secundum rationem, sed necessario omnem cognitionem præcedentem vnam rationem ab alia, ac dividit eam secundum rationem vnam, & eandem rem in duas obiective esse abstractivam: ex quo deducunt beatos per visionem beatificam, non distinguere secundum rationem attributa divina, ab essentia, & inter se; item & relationes à natura: hæc sententia sic probatur.

Primo, distinctio rationis vnius, & eiusdem rei in duas obiective provenit ex imperfecto, & inadæquato modo cognoscendi illam per alias scilicet species, & abstractivæ: sed cognitio intuitiva est cognitio perfectissima, non abstractiva, neque per alias species: ergo.

Secundo si per visionem intuitivam contingat distinctio rationis ratiocinata, Deus virescens seipsum intuitive efficeret hanc distinctionem inter sua attributa: sed evidenter constat ex dictis, in Logica, Deum non posse efficere hanc distinctionem.